



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ**

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621**

Cap. 3. Esse in Trinitate tres personalitates.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

& ided dicit earum distinctionem sola intelligentia percipi.

CAPVT III.

Sicut in Trinitate sunt tres personae, ita etiam esse tres personalitates realiter distinctas.

1. Quod in Deo plures personae sint, & quod illae sint tres, & non plures, neque pauciores, in primo libro ostensum est, & ex distinctione reali, quam intercedere inter eas ostendimus, euidentius confirmatur. Quia si realiter distinguuntur personae, ergo una non est alia, hanc enim negationem, vel solum, vel praecipue importat distinctionis vox, praesertim realis, ergo verè, ac proprie numerantur, ac vocantur tres personae.

2. Adde, personas diuinas ita esse distinctas in sua personali ratione, vt nullo modo dici possint vna persona, sed tantum plures, seu distinctae, aut tres. Hoc de fide certum est contra Sabellium, quia in Dei vnitatem ita est Trinitas confitenda, vt non confundantur personae, confunderentur autem, si vna persona essent. Vnde est illud Athanasij in suo symbolo. Fides autem catholicae haec est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitatem veneremur, neque confundentes personas, neque substantias separantes: alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti, vt ergo personae non confundantur, ita sunt confitenda distinctae, vt nullo modo in vna coalescere existimentur. Ratio autem est, quia distinctio personalis, seu inter personas immediatè, & quasi contradictoriè oppositur vnitati personali, seu in persona, & ided talis distinctio, & vnitatis non potest simul conuenire eisdem personis. Et declaratur, ac confirmatur, quia si personae sunt distinctae, iam vna non est alia. At neque ambae esse possunt vna tertia persona (vt sic dicam) quia illa tertia non erit substantia distincta in re ab illis duabus personis, ergo non est persona, quia non est incommunicabilis pluribus personis, quod est de ratione personae, ergo, vt personae sint tres, & distinctae, necesse est, vt non possint esse vna persona.

3. Atque ob eandem rationem, & cum eadem certitudine sequitur, non posse tres diuinas personas esse vnum suppositum, tum quia etiam est de ratione suppositi, vt sic incommunicabile, si autem personae diuinae essent vnum suppositum, iam illud suppositum realiter esset commune multis personis, & suppositis, quod est contra rationem suppositi, tum etiam quia tale suppositum esset in natura intellectuali, nempe diuina, ac proinde esset personae, essent ergo vna persona, cuius oppositum ostensum est. Idemq; dicendum est sub nomine hypostasis. Nam tres diuinae personae ita etiam sunt tres hypostases, vt non possint dici vna hypostasis: iuxta usum receptum illius vocis, iam enim idem significat, quod suppositum, vt supra visum est. De nomine autem substantiae iam diximus supra, esse aequiuocum, nam potest & naturam, & suppositum significare. Vnde constat, non posse tres personas dici tres substantias, & vnam substantiam in vniuersum, seu vniuoca significatione, si enim vel dicerentur vna persona, vel tres naturae: quapropter vel non est ita loquendum, vel explicanda est aequiuocatio, vt vitetur periculum erroris.

4. Tandem ex dictis concluditur, personas diuinas non solum in concreto esse tres personas realiter distinctas, sed et habere tres personalitates realiter distinctas. Haec assertio sub his terminis non est ab Ecclesia definita, nec in sacra Scriptura expressa, & ided non est simpliciter de fide. Maxime, quia non defuerunt Theologi, qui noluerint admittere hunc Suarez: de Deo trinuo.

modum loquendi in abstracto de personalitatibus diuinis, contra illos verò disputabimus infra libr. 74. Nunc autem supponimus, esse in Deo proprietates reales constituentes personas, quas nos abstracte concipimus, rectèq; significamus, ita vt licet modus concipiendi sit ex imperfectione nostra, nihilominus res concepta, & significata vera, & realis sit. Has ergo proprietates, personalitates vocamus, easque asserimus ita esse distinguendas, & multiplicandas in re ipsa, sicut ipsasmet personas. Quod facile probari potest. Primum ex simplicitate illarum personarum: tanta enim est, vt in re non admittat distinctionem inter personam, & proprietatem, seu personalitatem suam, ideoq; sint conuertibiliter idem, ergo quantum distinguitur persona à persona, tantum necesse est distingui personalitatem à personalitate. Secundò, quia si personae distinguuntur, est propter oppositionem, & distinctionem personalitatum inter se, vt in sequentibus videbimus, ergo tantum necesse est esse distinctionem, & pluralitatem personalitatum, quanta est personarum.

Vt autem haec veritas magis confirmetur, ac declararetur, notanda est regula communiter à Theologis recepta, quae ad caetera omnia in sequentibus tractanda, multum deseruiet: Nimirum ad vnitatem nominis substantiui sufficere vnitatem formae, formaliter significatae per nomen, seu formam, à quatale nomen sumptum est. Quam regulam tradidit Diuus Thomas 1. part. quaest. 36. artic. 4. & quaest. 39. artic. 3. eandemque supponit in 3. part. quaest. 4. artic. 6. ad 1. Capreol. in 1. dist. 4. quaest. 1. artic. 1. ad 1. Aureol. Scot. 1. distinct. 12. quaest. 1. §. Iuxta quaestionem, & alios pro eadem regula retuli in 1. tom. 3. part. disput. 13. sect. 2. & in sequenti libro plura de illa dicam. Rationem eius reddit Diuus Thomas, quia nomen substantiuum significat modo quodam absoluto, seu per modum substantiae, aut per se stantis, substantia verò, sicut per se habet esse, ita per se habet vnitatem suam, ergo nomen substantiuum, quod per modum substantiae significat, habet vnitatem à forma, quam formaliter, & per modum subsistentis significat, quia illa secum asserit suam vnitatem, ergo ad illam sufficit. Quae ratio non placet Scoto supra, sed non asserit aliam meliorem, vt videbimus infra agentes de terminis adiectiuis. Alij addunt rationem aliam, scilicet nomen substantiuum significare directe formam, reliqua verò connotare, & ided à forma accipere vnitatem suam, quia vnum quodq; nomen accipit suam vnitatem à suo directo significato, nam aliud est, quod directe demonstrat. Sed haec ratio, nisi includat rationem Diui Thomae, parum probat, alioqui etiam procederet de nomine adiectiuo, nam illud etiam directe significat formam, & connotat subiectum formae, ergo etiam in illo vnitatis formae deberet ad vnitatem sufficere, quod tamen non ita est, vt videbimus. Oportet ergo addere, nomen substantiuum significare directe formam per modum per se stantis, & ita inuoluitur ratio Diui Thomae. Quocirca, licet contingat, talem formam immediate subsistere in multis suppositis, tamen ex vi nominis substantiui significatur per modum vnius constituti per talem formam, & ided licet plura sint supposita, per illud nomen solum significatur, vt habentia vnitatem in tali forma, idedque nomen substantiuum à tali forma sumptum, singulariter, & non pluraliter de illis praedicatur.

6. Ex hac regula sequitur alia, videlicet, ad pluralitatem nominis substantiui necessariam esse multitudinem formae directe, ac formaliter significatae per nomen. Hoc facile patet, quia si ad vnitatem concreti substantiui sufficit vnitatis formae, etiam si supposita plura sint, vt ostendimus, ergo ad pluralitatem eiusdem nominis necessaria erit pluralitas formarum, quia si haec non esset necessaria, posset

5. Regula de vnitatis nominis substantiui.

D. Thom. Capreol.

D. Thom.

Scoto.

6. Alia regula de pluralitate.

posset stare hæc pluralitas concretorum cum unitate formæ, seu abstracti, quod repugnat superiori regulæ. Hæc ergo posterior regula euidenter sequitur ex priori: Potestq; inductione probari, nam hæc ratione tres personæ non sunt plures Dii, quia deest eis aliquid necessarium ad pluralitatem, quod non est, nisi pluralitas deitatum, nam deitas est forma directe significata per nomen Deus. Similiter Pater, & Filius verè sunt vnus spirator, & non plures ob eandem rationem, & sic de alijs.

7. Ex his ergo concluditur ratio, nam Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres personæ secundum fidem Catholicam, & non sunt vnus persona, vt ex eadem fide ostensum est: ergo habent tres personalitates, & non vnâ. Probatur consequentia, quia nomina *Persona*, *suppositum*, & *hypostasis*, substantiua sunt, nam & substantiam significant, & per modum substantiæ, & per se stantis, vt euidenter constat ex modo significandi talium vocum, & ex modo concipiendi omnium hominum. Imò, sicut Aristoteles in Prædicamentis dixit, primam substantiam esse primo, & maximè substantiam, ita dicere possumus, hæc nomina significantia primam substantiam, quatenus & in se subsistit, & incommunicabilis est, esse maximè substantiua inter omnia nomina concreta. Ergo in his omnibus maximè locum habent regulæ positæ. Constat autem nomine *Persona* formalius magisque directe significare personalitatem, quam naturam, vt notauit Diuus Thomas 1. part. quæst. 29. artic. 4. estque ex ipsa voce satis per se notum. Ergo, vt persona possit pluraliter prædicari, necesse est, vt personalitates eodem modo multiplicentur, in tanto, nimirum, numero, in quanto personæ plures esse dicuntur. Et similiter hæc pluralitas personalitatum sufficit, vt personæ plures sint, quantumuis natura sit vna. Sicut etiam è contrario unitas personalitatis sufficit ad personæ unitatem, etiam si naturæ multiplicentur, vt in Christo Domino videre licet.

D. Thom.

8. Prima difficultas circa regulas.

Argumenta, si quæ sunt, quæ contra hanc veritatem fieri possunt, in sequenti capite melius tractabuntur. Nunc circa regulas positas occurrit difficultas. Quoniam ex illis sequi videtur duæ aliæ. Vna est ad pluralitatem nominis substantiui concreti sufficere pluralitatē formæ significatæ formaliter per nomen. Altera est consequens ad istam, scilicet ad pluralitatem nominis substantiui concreti necessarium non esse pluralitatem suppositorum cum pluralitate formarum. Hæc posterior euidenter sequitur ex priori, nam si ad pluralitatem dicti significati sufficit pluralitas formarum, ergo si plures formæ tales sint in eodem supposito, erunt plura concreta substantiua à tali forma sumpta, ergo ad eorum pluralitatem necesse non est, vt simul concurrat pluralitas suppositorum. Quod verò prior regula sequatur ex præcedentibus, patet, quia oppositorum esse debet eadem, seu proportionalis ratio.

9. Ad hanc difficultatem quidam respondent, concedendo sequelam, & admittendo has etiam duas vltimas regulas, & ea nomina, quæ ex illis inferri possunt, vt, Verbum, si assumeret plures humanitates, futurum fuisse plures homines, & Patrem æternum, quatenus virtutem generandi & spirandi habet, esse duo principia, saltem secundum rationem, & similia. Ego verò oppositam sententiam defendi in primo tomo, tertia parte, disput. 13. sect. 3. quam nunc etiam probabiliorē censeo, infra verò occurret occasio peculiaris illam tractandi, cum agerem de principio Spiritus sancti, & idè in illum locum remitto nonnulla, quæ circa opinionem illam addenda occurrebant. Nunc ergo breuiter respondeo, negando sequelam. Et ad probationem assero, non esse eandem rationem pluralitatis, seu multitudinis, quæ est unitatis, quia ad unitatem sufficit vnio multorum in eodem supposito, vt citato loco,

3. part. magis latè declarauit, & in sequentibus attin- gemus.

Alia difficultas circa eandem regulam occur- bat, quia si personalitatum pluralitas necessaria est, vt personæ possint plures numerari, eadem ratione vt personæ possint plures sapientie, vt dicantur plures sapientes, & plura domini, vt dicantur plures dominantes, quod tamen fallum est. In hac verò difficultate inculcatur alia regula de prædicatione nominum adiectiuorum, quam in fine huius libri trademus. Nunc breuiter dicimus, regulas à nobis positas procedere in nominibus substantiuis, quia nomen, *Persona*, substantiuum est. Et ita concedimus sequelam in alijs omnibus substantiuis dictis de tribus personis; & idè Athanasius in suo symbolo negat, tres personas esse tres omnipotentes, vtique substantiue, quia vnâ tantum habent omnipotentiam, idemque erit de sapiente eodem modo sumpto, & de Domino, vox autem Dominantis adiectiua est, & idè dispar est de illa ratio, vt infra dicemus.

#### CAPVT IV.

*Sintne in tribus personis tres subsistentiæ personales realiter distinctæ.*

Hanc quætionem disputauit latè in 1. tom. 3. part. 1. disput. 11. sect. 4. Non potest hoc autem omnino prætermitti, quia est necessaria ad explicandam distinctionem personalem diuinarum personarum: eam tamen ad breuem summam redigam. Aduertendum igitur est, hoc nomen, *subsistentia*, apud antiquos patres frequentius accipi in vi concreti ad significandam hypostasim, seu personam. In quo sensu nulla est quæstio inter Catholicos, nam de seè est, dari in Trinitate tres subsistentias realiter distinctas, id est, tres hypostasies. Et sub illis terminis inuenitur illa locutio in 7. & 6. Synodo, & ferè in alijs Græcis translatis in latinam linguam: semper tamen Græcè respondet vox *hypostasis*. Vnde etiam Concilium Lateranense sub Martino V. & Iustinus Imperator in edicto ad Ioannem Papam, & alij sæpè, subsistentiam illo modo accipiunt, cum de tribus subsistentijs in Trinitate loquuntur. Scholastici verò eam vocem sumunt in vi nominis abstracti, ad significandam proprietatem illam, seu rationem, à qua habent personæ, quod subsistant, & in hoc sensu sunt de præsentis quætionis opinionēs inter Scholasticos.

Prima opinio negat, esse in tribus personis tres rationes subsistentis, sed vnâ tantum essentialentem, & absolutam. Ita tenuit Durandus in 3. distinct. 1. quæstione secunda, & ibi Capreolus, & Paludanus, idemque sentit Scotus quæstione 2. §. Ad quætionem igitur, & alijs in locis, quæ dicto loco retuli. Fundamenta asseruntur multa, sed vnus est caput omnium, & difficile, scilicet, quia diuina natura per se ipsam essentialiter subsistens est, ergò non subsistit in personis per proprias aliquas subsistentias personales, ergo non dantur, in diuinis personis tres personales subsistentiæ realiter inter se distinctæ. Antecedens probabitur à nobis infra in libro sequenti. Nunc breuiter declaratur, quia esse diuinum est ipsum esse per essentiam. De ratione autem intrinseca, & essentiali huius esse est, quod sit subsistens: nam sicut per se, & essentialiter necessariò est, ita etiam necessariò, ac essentialiter per se est: subsistentia autem nihil aliud est, quam per se existentia. Consequentia autem prima probatur primo, quia subsistentia personalis ad hoc tantum est vt natura per se illam subsistat, sed iam hæc natura diuina per se subsistit præcisa relatione, ergo non coniungitur relationi, vt per illam resistat, ergo relatio non affert secum specialem subsistentiam. Secundò, quia nulla